



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Enchiridivm Chronologicvm Sacrae Et Prophanæ Historiæ

Salian, Jacques

Coloniæ Agrippinæ, 1638

Illustrissimo ac Sapientissimo Antistiti ac Domino, D. Leonoro Des Tempes
Carnotensium Episcopo: Iacobus Salianus Soc. Iesu S.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64957)

Illustrissimo ac Sapientissimo
Antistiti ac Domino,
D. LEONORO DES TEMPES
Carnotensium Episcopo:
Iacobus Salianus Soc. Iesu S.



NON sine causa iamdu-
dum veremur, Maxime
ac Religiosissime Praesul,
tantulo cum munere tā-
tum adire Pontificem.
Hic enim ipse libellus,
sua tenuitatis praeclare conscius, hanc mi-
hi quasi cantilenam in aurem continentem
insusurrat, qua homini non inepto animos
infringere posse videatur. Quantulus, e-
nim, inquit, apparebo misellus, in augu-
stissima illa bibliotheca Carnotensis Anti-
stitis, qua in omnibus etiam Parisiorum
bibliothecis, atque adeo uniuersa Gallie
principatum tenet, ut cum Alexandrina
illa Philadelphica, qua quinquaginta li-
brorum myriades dicitur fuisse complexa,
possit inire certamen? Qualis ero in vul-
gari ista, ac pene plebeia doctrina, quam
homines adolescentes quotidie manibus
versant, in oculis illius viri, qui à puero
ad hanc aetatem, non solum studia politico-
ris literatura, sed Philosophia quoque at-
que Theologia, omnium denique doctrina-
rum encyclopaedia mente sit animoq; com-
plexus.

plexus: Qui subinde, siue ex superiore loco,
siue ex aquo, siue ex inferiore dicendum
sit, fundit eloquia sapientia sua; non ad
inanem ostentationem, sed ad publicam
Imperii huius utilitatem & gloriam: &
ad amplissimi gregis sibi crediti salutarem
institutionem ac fructum. Gregis, inquã,
amplissimi, si quis est in vniuersa Gallia
latissime fusus, & viris pietate, doctrina,
& religiosorum coetuũ multitudinem locu-
ples: quibus ad meliora, diuina miseratione,
aspirantibus, ipse auxilio, consilio, au-
toritate atq; industria, laudatissimam ope-
ram nauat; ut recte ad omnium maxima
diocesanos administrationem, omnium
maximus atque absolutissimus, absit dicto
inuidia, à Rege sapientissimo, atq; optimo,
quisitus videatur, & nominatus Anti-
stes. Et sic ille quidem, de patrono sibi à me
quesito pradicat; neque animo satis aduer-
tit, hisce omnibus interioribus bonis, qua
plerumq; viros magnos fastidiosos efficiunt,
insignem humanitate, atque facilitatem,
haud scio an primariam vere germanaq;
nobilitatis notam, nexam esse atque iuga-
tam; neque memoria repetit, dictum quidẽ
esse diuinitus, non oportere coram Domino,
utique neque coram Christo eius vacuum
apparere: neque tamen muneris à legisla-
tore definitum esse modum, vel quantita-
tem. Rectissime: quandoquidem mortali-
um

Exod. 23.
15.

lium magna pars tenui in re est, neque
par erat eos propterea diuino carere con-
spectu: neque rectum, illos modicam, gratia
nomine, in re modica, non offerre particu-
lam, potius, quam sine culpa sua, ex indi-
gentia pudore suffundi. Hac ipsa causa no-
stra est, Clarissime Præsul, qui ad hoc Cla-
romontanum Societatis IESV Collegium
pertinemus, quod tu non præsentia solum
tua honestare, sed beneuolentiæ, fauore,
operaque tibi deuincire, atque obligare
non cessas: & istiusmodi munuscula, li-
bellosque nostros, quos ne plane ingrati si-
mus, in sinum tuum ac clientelam damus,
non aspernaris. Quidni autem? Scimus pur-
puratos Patres, quod tu minimè omnium
ignoras Regesque potentissimos, atque ad-
eo summos in aurea tiara Pontifices, non
solum panagyricas orationes, philosophi-
cas, aut theologicas positiones, sed breues
etiam odas, epigrammata, poëmata, alia-
que id genus ingenij ac politioris eruditio-
nis argumenta, tanquam indigna maie-
state sua, non amandasse longius, sed ad-
modum grata habuisse, nec sine gratia si-
gnificatione recepisse.

Accipe igitur, Illustrissime Antistes,
hunc, quæ cetera soles humanitate libellum,
quem libellum esse oportuit, ut esset En-
chiridium, & Enchiridium esse satis e-
rat, ut quem optamus ex eo fructum, Deo

bene propitio, consequamur. Memoria si-
quidem eruditorum opem ferre volumus,
& historia tyronib. primariam informa-
tionem dare. Et quoniam, ut sunt humani-
mores, sua quisque minimè fastidit, dicere
liceat libellum hunc mole exiguum, re ipsa
permagnum videri posse, ut qui quatuor-
millium & octoginta sex annorum res,
personasque, in quinque mundi Imperijs
summa breuitate contineat, indicetq; Le-
ctori. Quin etiã in breui ista introductione
Chronologica, in qua nobis cum grauissi-
mis viris, de aliquot scriptura locis, ad hi-
storiam eius pertinentibus, iam dudum
initum est certamen, optandum fuit, tan-
tum virum, rei sacra atque historia scien-
tissimum, vel iudicem habere, vel arbi-
trum. Denique cum Enchiridium hoc sit
ex rei natura coniunctissimum cum Epi-
toma nostrorum Annalium, quam supe-
riore anno Eminentissimo Cardinali ac
Duci Richelieu dicauimus, consentaneum
fuit ut hoc quoque opusculum, quasi alte-
ram Epitomen, Prasuli Carnotensi, viro,
illi tot natura & gratia donis, rerumque
gerendarum prudentia coniunctissimo,
cum debita mentis summissione dicare-
mus. Vale.

E Collegio Claromontano Societ.
IESV, in peruigilio S. Ioannis Baptistæ,
anno aetæ Christianæ 1636.

PRÆ-